



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

16. Duo tamen retinentur nostri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

16.  
Duo tamen  
retinentur  
nostris.

Parram libellum iussit illico perferri. Hic siue precibus, seu Riccij libello, aut spe demerendi homines vtilis, & forte potius argento expugnatus (nundinabatur enim beneficia Lincitani) obtinuit denique ut permitterentur aduentui & arbitrio Proregis noui, sic dato munere, acceptoque rescripto, Sanden continuo remittunt Macaum, quod ab iis quam prouidè fuisset sapienterque cogitatum, docuit edictum Lincitani, quod tunc publicè pependit cum vix nauim conscendisset Sandes. In eo Edicto legebatur [Patres suo ære ædificasse sibi domum; turrim publico sumptu Sciaochini, & subiectarum illi urbium construi, totam illius fabricæ gloriæ ad illas, nullam eius partem ad Patres pertinere: Quod prope turrim habitarent, hoc iis à Prorege indultum, & ab se propterea toleratum, sed cum accitis Macao sociis numerum auerent, indixisse virisque tum veteribus, tum accitis, regno facefferent. Verum illos ab se cum miserabili specie multisque lachrimis, audiri tandem impetrassent, Proregum duorum protulisse diplomata quibus sibi potestas fiebat illie habitandi; nemini se vnquam nocuisse; nihil in leges peccasse; abesse à patria, miliarium viginti millibus; per infestissima procellis maria, immensis sumptibus Sinarum amore, & æstimatione magnifica venisse; nunc se post infontem annorum quatuor in regno habitationem, ne culpæ quidem leuissimæ suspectam, per eadem maria, pericula, & mortes remitti, & extrudi, hac se lamentabili querela motum, quam sciret esse verissimam, & sibi constaret, homines esse valdè probos, & dignos ob religiosam quam profitebantur vitam quorum peculiaris ratio haberetur; edicere se ut ij duo qui principio venerant, in regno manerent; qui superuenerant abirent; duobus in posterum si quis tertius accessisset, tunc verò omnes pellerentur, velut rerum nouarum in regno molitores; designabantur edicto altero ex regionariis præfectis qui eos obseruarent, deferrentque illorum nomina, si quid ab iis quieti publicæ aduersum moueri comperissent.] Libuit has minutias persequi ut de infinitis & ærummosis difficultatibus inferendi Sinis Euangelij, infinitam quandam Patrum prudentiam, & patientiam metiremur, potissimum Riccij, ad hoc cœlitus lecti, ut illud Nanchinum induceret.

17.  
Cunctatio  
Riccij sancta  
& sapientia.

Defunctos proxima tempestate, duorum numerus tam seuro sibi edicto præscriptus; & noui Proregis notus olim Quansej animus habebat sollicitos. Nisi Deo placitum fuisset Xauerij sui labores vltimos pensare inducenda per eius fratres in Sinas intimos Chrtisti cruce, res erat profecto millies desperanda. Nam etsi edictis etiam quibus exilij damnabamur, ornaremur perhonorificis titulis virtutum, integritatis, doctrinæ mirabilis, & obseruantix erga leges, vnum reos vbique faciebat crimen, vitium peregrinitatis, quæ suspiciones Sinarum de Lusitanis nimium vicinis, mittebat in sera posteritatis pericula, etsi tunc quod posset metui nihil viderent: has contra si Riccius aduersa fronte islet, foraque urbium impleisset terrore ignium æternorum,